

99



~~0014~~

0014  
sch.

0014

Rubr. *Ff.* *N<sup>o</sup>. 8*  
**Herzogliche Bibliothek**  
zu  
**Cöthen.**



17.  
Königliche Bibliothek  
Halle





PASQVILLVS

ROMANVS AD RECTO.

RES CIVESQVE GALLIAE.

---

M D XXXVI.

PASSOWITZ

JOHANNES AD. RECTOR

1611



RECTORES CIVESQVE GAL  
LIAE PLVRIMA IMPARTITVR SA  
lute Pasquillus Diuorum uates.

**V**Elim uos non latere uiri candidi, paucos ab  
hinc dies tanto armorum strepitu & multitudine mi  
litum huc atq; illuc cursitantium, Martem ipsum per  
territum Iouem adijisse, huiusq; adeo horribilis tu  
multus bellici autorem sollicitate indagasse. Re itaq;  
mox comperta Mercurium uocat, & iubet communi  
omnium Deorum decreto Gallum citari tanquam  
Christianæ religionis & Reipub. pacis perturbato  
rem. Galli partes mox sola tuetur Dea Inuidia, &  
ueluti debacchantium more, in medio Deorum lo  
cuta est.

Quis (inquit) feret ô Superi assiduo cruciatu ani  
mi torqueri, nec alterna requie posse frui, aut rerum  
uicissitudine potiri unquam, tot me fortunæ succes  
sus huius Caroli mordent acriter, totq; subuerten  
dæ curæ foelicitatis sollicitant anxie, ut quasi (quæ  
æterna sim Inuidia) esse desinam. Quis mortalium  
mihi (fatemur enim ingenue) inficias ibit, alium præ  
ter hunc unicum (ab orbe condito) fortunæ successi  
bus usque adeo claruisse? Captum enim habuit (in  
credibile auditu) Gallum & pullos, genus mihi lon  
ge gratiss. Cæterum Clementem VII. ardua obsidi  
one pressum & tandem deuictum. Cæsarem quoq;  
Turcarum (cuius potestas instar rupis inaccessæ &

Defensio  
Galli ab  
Inuidia  
Deo

η copia

copia militū numero arenæ maris comparatur ) bis  
in fugam uertit. Carthagineñ. Regem à suis expul-  
sum, aperto Marte constituit. Plurimosq; Germa-  
niæ satrapas mea clancularia arte ab illo diuisos re-  
pente in summam unionem uafricia sua reuocat. Ca-  
ue etiam memorem longe his maiora uictricia signa  
in Græcia illi præparata, nisi incepto obstitiffem.  
Heus quæso hæc omnia meæ fœlicitatis incommo-  
da iure patiar? Esto, uel potius numero Dearum de-  
lear lubet, uel inceptum fortuna tenorē mutet opor-  
tet. Me enim decet Inuidiam omnis fœlicitatis hu-  
manæ esse comitem, nec unquam prosperitatibus  
mortalium gloriari. Attamen hic mei numinis ue-  
rus cultor est, & grata libamina mihi obtulit multo  
tempore, & feret ad inferos usq;. Iure igitur optimo  
illius partes tuear. Necessum est expoſtulans illius  
operam mihi ultroneam digna mercede remunera-  
ri, nec à uobis hac parte iniuste cenſeri.

Hæc ubi dicta, in medio coeleſtum prodiijt imma-  
culata & caſtiſſ. uirgo Aſtrea, non ferens obseruan-  
diſſimum æquis Carolum tot Inuidiæ telis labefa-  
ctari falſò, ſed ſupplex genibus prouoluta Iouem  
in communi coetu Deorum allocuta eſt.

Reſponſio  
Iuſtiæ pro  
Carolo au-  
tore ſuo.

Non te moueat Deorum atq; hominum Rex (cu-  
ius nutu ac temone gubernantur omnia) huius exe-  
cratæ mulieris querimonia, quæ licet Dearum nu-  
mero nobiſcum computetur, longe tamen à nobis  
diſcrepat, nos uirtutibus, illa uicijs aſſueuit: Nos  
coeleſti



coelesti aura æternosq; gaudio fruimur, illa perpetuo cruciatu in editissimo tenebrarum antro seclusa à nobis exulat. Qua igitur lege nunc admittitur? Nouas ut (iniquitatem enim odis, & omne argumentum ab ipsa progressum inutile noris ad iusticiam) nobis turbas adferat, aut præter fas nefasq; illius causam agat, Qui seditionis Christianæ & tumultus autor est, Qui furo & mendacijs assuevit, Qui neq; Dijs, neq; hominibus fidem seruarit unq;. Quid multis? quòd hæctenus Christianiss. principis titulo sese iactarit, & castissimæ sponsæ Christi amator zelotes creditus est, nunc (quo nihil abominabilius) publicæ meretricis Babylonice fornicator repertus est.

Quid meus Carolus Christianiss. Principe indignum commisit? qui non proprio commodo aut gloriæ studens, sed per terras maria omnia circum, crediti sibi Christiani gregis causa (patria, blandis liberis, chara coniuge relictis) sese totum exposuerit ancipiti Martis aleæ. Siquidem fructus laboris tandem acceperit, non ingratus tum uiribus attribuit proprijs, sed uobis acceptum tulit, quicquid illi gloriæ euenerit unquam.

His itaq; dictis, nec præfinito sermone omnium celestem plausu expellitur pudefacta Inuidia. Condamnatur à Ioue Gallus. Mars statim omnem pollicetur operam, & accinctus gladio super femur suum potentiss. Astreæ sese adiungit bona fide, obtestans

ij

iacta-

iac̄tatam à Gallo aleam subuersurum. Astrea ue-  
xilla Caroli manibus arrepta humeris imponit læ-  
ta. Iuno Galli opes breui dissipandas prædicat,  
Pallas animi dotibus priuat. Mulciber illius arma  
in falces & uomeres se uersurum promittit, ut tellus  
re Gallico sanguine luxuriante, corporibusq̄ cæ-  
sis stercorata, fertiliorem magno cum fœnore red-  
dat messem Ceres. Venus nuda illius gratia ar-  
ma abhorruit, non oblita suscepti uulneris à Dio-  
mede, sed uaticinium edidit, fatius fuisse consultum,  
Gallū gallinas suas domi fouisse, quàm inuito Mars  
te & irata Delia, alienam feram uenari.

Commiseratione itaq̄ non familiari immotæ De-  
orum sententiæ, uobis hæc innotescere uelim uiri cul-  
tores Gallia, ne incauti uestri Principes dementiæ  
subscribentes, frustra contra uictorem pugnetis. Fu-  
migant enim montes omnes, neq̄ uallis reliqua est  
ulla, quæ non nihil uobis alat monstri. Omne ge-  
nus uobis infestum, cuiq̄ suus furor arma ministrat.  
Lactantes ab uberibus matris uictoriam Carolo cor-  
de gestiunt toto. Pueri à cunabulis teneris lacer-  
tis uexilla erigunt, Decrepiti imbecilli trementem  
manu arripiunt hastam. An ne hæc omnia uobis  
mali ominis signa? Occurrite igitur à Superis uobis  
misso. Veniet enim fortis & potens rebellibus omni-  
um Deorum atq̄ hominum auxilio munitus. Man-  
suetus uero & mitis humilibus, hunc apertis ulnis  
excipite: & conuictas præbete manus: pacificator  
quidem

quidem orbis, & heres constitutus est, qui uestra tyrannicæ & diuturnæ seruitutis, lassa colla iugo soluet, cuiuscq; numen omnes terrarum Principes adorabunt.

Quamobrem hæc uos moueant uelim plurimum, ne adeo obtusa mente adhæc obsurdescatis, aut si uiribus uestris plus æquo fidentes, & genus humanū & mortalia temnitis arma, at sperate Deos memores fandi atq; nefandi. Valete ex ædibus nostris Romæ pridie idus Maij.

Vester ut suus Pasquillus Romanus.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.




AB 749 799


ULB Halle 3  
003 862 47X



Sb.







PASQVILLVS  
ROMANVS AD RECTO.  
RES CIVES'QVE GALLIAE.

M D XXXVI.

